

qui ante conclaue positi erunt, si volunt, omnes, qui conclaue aut domum introierint, excutiant. Mulier, quum parturire incipiat, his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusue eorum denunciaret, ut mittant, quibus praesentibus pariat. Mittantur mulieres liberae dumtaxat quinque: ita ut, praeter obstetrices duas, in eo conclauis ne plures mulieres liberae sint, quam decem: ancillae, quam sex. Hae, quae intus futurae erunt, excutiantur omnes in eo conclauis, ne qua praegnans sit. Tria lumina, ne minus, ibi sint: scilicet, quia tenebrae ad subiiciendum aptiores sunt. Quod natum erit, his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusue eorum, si inspicere volent, ostendatur. Apud eum educetur, apud quem parens iusserit. Si autem nihil parens iusserit, aut is, apud quem voluerit educari, curam non recipiet: apud quem educatur, causa cognita constituam. Is, apud quem educabitur, quod natum erit, quoad trium mensum sit, bis in mense: ex eo tempore, quoad sex mensum sit, semel in mense: a sex mensibus, quoad anniculus fiat, alternis mensibus: ab anniculo, quoad dari possit, semel in sex mensibus, ubi volet, ostendat. Si cui ventrem inspicere, custodiriue, adesse partui licitum non erit, factumue quid erit, quo minus ea ita fiant, uti supra comprehensum est: ei, quod natum erit, possessionem causa cognita non dabo. Siue quod natum erit, ut supra cautum est, inspicere non licuerit: quas utique actiones me daturum polliceor his, quibus ex Edicto meo bonorum possessio data sit: eas, si mihi iusta causa videbitur esse, ei non dabo." (*Ulpianus, l. 1. §. 10. D. de inspic. ventre.*)